

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 840

**Auteur(s)** : Henri II, Bayeux (évêque)

**Bénéficiaire(s)** : Geoffroy [clerc]

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1169

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Henri II, évêque de Bayeux, fait connaître la donation en aumône, faite par le chanoine Azon au clerc Geoffroi, de toute la chantrerie de l'église Saint-Martin de Monts avec ses appartenances, à la condition qu'elle lui fera retour, et à ses successeurs, à la mort du clerc ; il notifie ensuite les renonciations faites par le chevalier Guillaume de Monts, frère du clerc.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesie Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° XLVIII, t. 1, p. 60-62.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia Baiocensis episcopus, et Willelmus, Baiocensis ecclesie decanus, et ejusdem ecclesie canonicorum conventus, omnibus, tam presentibus quam futuris, ad quos presentis carta pervenerit, salutem. Sciatis magistrum Azonem, canonicum nostrum, concessisse et donasse, nobis presentibus et assentientibus, Gaufrido, clerico de Montibus, tota vita sua in elemosina possidendam et habendam ab eodem Azone, vel successoribus suis, totam cantariam ecclesie Sancti Martini de Montibus, cum omnibus ad cantariam ecclesie pertinentibus, scilicet, cum tercia garba tocus villae de Montibus, et tota terra quae est de elemosina ejusdem cantariae, et cum lino, et lana, et cannabe, et cum tota decima pomorum, et cum omnibus oblationibus, et cum caeteris omnibus ad eam pertinentibus. Praedictus autem Gaufridus fecit ecclesie Baiocensi, et magistro Azoni, et successoribus suis, fidelitatem de praedicto beneficio. Item etiam Gaufridus reddet, singulis annis, praefato Azoni, vel successoribus suis, pro recognitione quod habet illam cantariam a Baiocensi ecclesia, quinque solidos andegavenses ad Natalem, et quinque solidos andegavenses ad Pascha. Omnes etiam garbae, tam duae quam tercia, coadunabuntur simul in grantia canonici per decimatores utriusque eorum, et ibi triturbuntur ab hominibus quos ad hoc communiter constituent ; et tunc habebit canonicus duas partes straminis et bladi, et praedictus Gaufridus terciam partem et straminis et bladi. Quidam vero miles, scilicet Willelmus de Montibus, frater praedicti Gaufridi, toti juri, quod dicebat se habere in duabus garbis, de toto feodo suo ejusdem villae, quas dicebat pertinere ad feodum suum, quas quidem magister Herbertus de Ponte Ilberti, canonicus ecclesie Baiocensis, qui habuerat praebendam de Montibus ante magistrum Azonem, longis temporibus habuerat et possederat in praebenda illa, ut ipse publice protestatus fuerat dum vixit, et ecclesia Baiocensis constanter asseverabat, renuntiavit, promittens quod nec ipse, nec haeredes sui, de caetero reclamarent adversus Baiocensem ecclesiam propter illas duas garbas. Idem etiam miles concessit ut illae duae garbae essent de caetero in perpetuum in praebenda illa, et pertinerent ad jus et dominium illius praebendae, et sic eas posuit super majus altare Baiocensis ecclesie per cutellum quendam. Postea vero, juravit super sacrosancta evangelia quod sic observaret sicut promiserat in persona sua, et faceret observari ab

hæredibus suis pro posse suo. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo nono, præsentibus Henrico Baiocensi episcopo ; Willemo decano ; Herberto, præcentore ; magistro Hunfrido Bove, Jordano, et Thoma, archidiaconis ; Roberto, subdecano ; Henrico, succentore ; Galtero, fratre episcopi ; Radulfo, avunculo episcopi ; magistro Roberto de Bolon ; magistro Radulfo de Petrariis ; Ricardo de Croleio ; Helya de Sancto Georgio ; Bartholomæo ; Thoma de Anfrevilla ; Stephano ; Petro de Divisis ; Johanne Grogne, canonicis ; magistro Durando ; magistro Nicholao ; Ricardo, filio Hadvisæ ; Gaufrido de Burgo Acardi ; Gervasio de Mondrevilla ; et Roberto de Sancto Vedasto, presbiteris ; Jordano Taison ; Nicholao de Veiocis ; Roberto de Percheio ; Radulfo de Clinampo ; Jordano de Veiocis ; Ricardo de Felgerolis, et pluribus aliis.